

CRACO,
VIAE IOAN.
SANDECIVS
EXCVDEBAT.
MENSE AV,
GVSTO AN.
M.D.XXX.

IVNII IVVE

NALIS AQVINATIS
SATYRAE DECEM ET SEX,
AD IMITATIONEM ALDI
NI EXEMPLARIS
EMENDATAE.



PRAETEREA NON MVLTQ PRIDEM CV
*rionis scholijs margini appositis, nunc vero
satyrae cuilibet subnexis, illustratae. Quae
uice brevis commētarij esse possunt.*

HEXASTICHON AD STUDIO SV M
LECTOREM.

*Vt confert, uicij purgatum carmen habere,
Cum doctis scholijs sic iuuat usq; legi.
Quo magis hunc moneo librū nunc esse legendū
Quod careat mendis, & niteat scholijs
Est tibi praeterea tanto hic magis autor amandus,
Quanto plus alijs antefendus erit.*

M. Benedictus faciebat.



25. 2. 1920



pater noster

in

quali

Sosber


dupl


duplex est qualitas et comon
quia semper scilicet




nr. 694

B 697 - B 701





BASILEAE PER IO. FRO/
BENIVM, AN. M. D.
XXIII. MENSE SE/
PTEMBRI.





DIALOGVS

ERASMI ROTEROD.

festiuissimus, de contrahendo
foeliciter matrimonio.

F. MŶMERVS LECTORI.

Coniugio quisquis fidam reperire puellam
Experis, huc flectas lector amice pedem.
Hoc paruo quoniã discas (mihi crede) libello
Qualem in connubio conuenit esse tibi.
Cui sit Penelopesq; Alcestis & Hipsicrateæ
Insit & Euadnes, inuiolata fides.



ARGVMENTVM.



VNT inepti, quibus colloquiū proci
 & puellæ uideatur lasciuū, quū nihil
 fingi possit castius. Si res honesta ad
 matrimonium, & procum agere ho-
 nestum est. Atq; utinam omnes proci tales essent
 qualem hic fingo, nec alijs colloquijs coirent ma-
 trimonia. Quid facias istis ingenijs, tetricis, & ab
 omnibus gratijs alienis, quibus impudicū uidetur
 quicquid amicū est ac festiuū? Hæc puella negat
 proco discessuro osculum, quo totam uirginitatē
 illi seruet illibatam. Quid autē nunc uulgo non
 dant puellæ proci? Deinde non uident q̄ multa
 philosophica sint inspersa iocis, de non præcipi-
 tando coniugio, de delectu non solum corporū,
 sed multo magis animorū, de firmitate coniugij,
 de non cōtrahendo matrimonio sine cōsensu pa-
 rentum, de caste colendo matrimonio, de sancte
 educandis liberis. Postremo puella comprecatur
 Christum, ut illius auspicijs sit felix connubium.
 An hæc non conuenit scire iuuenes? Et qui hanc le-
 ctionem ob lasciuiam putant esse noxiam pueris,
 patiuntur illis prælegi Plautum & facetias Poggi.
 Præclara iudicia.

B 639

2526 1320

2
INTERLOCVTORES.

PAMPHILVS ET MARIA.

ALVE crudelis, salve ferrea,
salve adamantina. MA. Salve
tandem & tu Pamphile, quoties
& quantū uoles, & quocunq; li
bet nomine. Sed interim mihi ui

deris oblitus nominis mei. Maria uocor. PA.

At Martiam dici oportuit. MA. Quid ita,

queso? Quid mihi cum Marte? PAM. Quia

quēadmodū illi deo pro ludo est homines in-

terficere, ita & tibi: nisi quod tu Marte crude-

lior occidis etiam amanti. MA. Bona uerba.

Vbi nam strages ista mortalium, quos ego oc-

cidis? Vbi sanguis interfectorum. PAM. Vnū ca-

dauer uides exanime, si modo me uides? MA.

Quid ego audio? Mortuus loqueris & obam-

bulas? Vtinam mihi nunquā occurrant um-

bræ formidabiliores. PA. Ludis tu quidem,

tamen interim miserū exanimas, & crudelius

occidis, quam si confoderis telo. Nunc longo

cruciatu excarnificor miser. MA. Eho dic,

quot grauidæ ad tuū occursum abortierunt?

PA. Atqui pallor arguit exanguem, magis

quam ulla sit umbra. MA. Atqui iste pallor

tinctus est uiola. Sic palles, ut cerasium matur-

rescens, aut uua purpurascens. PAM. Satis

DIALOGVS

procaciter rides miserum. MA. Atqui si mihi
 non credis, admoue speculum. PAM. Non
 optarim aliud speculum, nec arbitror esse clas-
 rius ullum, quam in quo nunc me cōtemplor.
 MA. Quod speculū mihi narras? PA. Ocus-
 los tuos. MA. Argutator, ut semper tui simi-
 lis es. Sed vnde doces esse exanimem te? An
 cibum capiūt umbræ? PA. Capiunt, sed in-
 sipidum, qualem ego. MA. Quibus igitur ve-
 scuntur? PA. Maluis, porris, & lupinis. MA.
 Atqui tu non abstines a capis & perdicibus.
 PA. Verum, sed interim nihilo plus sapiunt
 palato meo, quam si maluis uescerer, aut betis
 absq; pipere. MA. O te miserū, & tamen per-
 obæfulus es. An & loquūtur exanimēs? PA.
 Sic ut ego, uoce per quam exili. MA. Atqui
 nuper cum audirem te conuiciantē riuali tuo,
 uox nō erat admodum exilis. Sed obsecro te,
 num etiam ambulant umbræ? num uestiunt?
 num dormiunt? PA. Etiam coeunt, sed suo
 more. MA. Næ tu suauis nugator es. PA.
 Sed quid dices, si argumentis Achilleis euin-
 cam, & me esse mortuū, & te esse homicidam?
 MA. Absit omen Pamphile, sed aggredere so-
 phisma. PA. Primū illud mihi donabis, opi-
 nor, mortem nihil aliud esse, quam abductio-

3

PROCI ET PVELLAE.

nem animæ a corpore. MA. Largior. PA. Sed ita, ut ne reposcas, quod dederis. MA. Non fiet. PA. Tum haud inficiaberis, eum qui alteri adimit animã, homicidam esse. MA. Accedo. PA. Concedes & illud, quod a grauiſſimis autoribus dictum, tot ſeculorũ ſuffragiis comprobatũ eſt, animã hominis non illic eſſe ubi animat, ſed ubi amat. MA. Iſtuc ex plana craſſius, non enim ſatis aſſequor, quid velis. PA. Et hoc ſum infelicioꝝ, quod iſtud nõ æque ſentis atq; ego. MA. Fac ut ſentiam. PA. Eadẽ opera fac, ut ſentiat adamas. MA. Equidem puella ſum, non lapis. PA. Verũ, ſed adamãte durior. MA. Sed perge colligere. PA. Qui corripuntur afflatu diuino, nec audiunt, nec vident, nec olfaciunt, nec ſentiunt, etiã ſi occidas. MA. Audiui ſane. PA. Quid coniectas eſſe in cauſa? MA. Dic tu philoſophe. PA. Nimirũ, quoniã animus eſt in coelis, vbi habet quod vehementer amat, & ab eſt a corpore. MA. Quid tum poſtea? PA. Quid tum, dura? Illud conſequitur, & me eſſe mortuũ, & te eſſe homicidam. MA. Vnde eſt igitur anima tua? PA. Illuc ubi amat. MA. Quis autẽ ademit tibi animã? Quid ſuſpiras? Dic libere, dices impune. PAM. Crudeliſſima

DIALOGVS

quædam puella, quã ego tamen ne mortuus
quidẽ odisse possum. MA. Humanũ ingenium
Sed cur illi vicissim non adimis suam animam,
par pari, quod aiunt, referens. PA. Nihil me
felicius, si quidem liceat facere permutationẽ,
sic, vt illius animus vicissim demigret in pectus
meum, quẽadmodum meus animus totus de-
migrauit in corpus illius. MA. At licet ne mi-
hi tecum vicissim paulisper sophistam agere?
PA. Sophistram. MA. Num fieri potest,
vt idem corpus sit animatũ, & exanime? PAM.
Non eodem quidem tempore. MA. Quum
abest anima, tum mortuũ est corpus? PAM.
Est. MA. Nec animat nisi quum adest? PAM.
Esto sane. MA. Qui fit igitur, vt cum ibi sit,
vbi amat, animet tamen corpus, vnde demi-
grauit? Quod si animat, etiam cum amat alibi,
quomodo vocatur exanime corpus, quod ani-
matum est? PAM. Argutare tu quidẽ satis so-
phistice, sed me talibus pedicis nõ capies. Ani-
ma quæ moderatũ vtcunq; corpus animantis,
improprie dicitur anima, cum reuera sint te-
nuũ quædam animæ reliquiæ, non aliter, q̃
odor rosarum manet in manu, etiam rosa sub-
mota. MA. Difficile est, vt uideo, vulpem ca-
pere laqueo. Sed illud responde. Nonne agit,

4

PROCI ET PVELLAE.

qui occidit? PAM. Maxime. MA. Et patitur,
 qui occiditur? PAM. Scilicet. MA. Qui fit igitur,
 ut cum quæ amat, agat: qui amatur, patiatur:
 occidere dicatur, qui amatur, cum amans
 potius occidat seipsum? PAM. Imo contra, qui
 amat patitur, quæ amatur agit. MA. Isthuc
 nunquam euinces apud Areopagitas gram-
 maticos. PAM. At euincam apud Amphic-
 tnyones dialecticos. MA. Verum ne gra-
 ueris & illud respondere, volens amas, an no-
 lens? PAM. Volens. MA. Cum igitur liberū
 sit non amare, videtur homicida sui, quisquis
 amat, præterq̄ ius accusat puellam. PAM. At
 qui puella non ideo occidit, quod amatur, sed
 quod non amat mutuū. Occidit autē, quisquis
 seruare potest, nec seruat. MA. Quid si iuue-
 nis amet inconcessa, hoc est, vxorem alienam,
 aut virginem Vestalem? num illa amabit mu-
 tuum, ut seruet amantem? PAM. Sed hic iuue-
 nis amat, quod amare fas piumq̄ est, atq̄ etiā
 æquum & bonum, & tamen occiditur. Quod
 si leue est homicidij crimen, & veneficij ream
 peragam. MA. Isthuc prohibeant superi. An
 Circen quampiam ex me facies? PAM. Aliqd
 & ista crudelius. Nam porcus aut vrsus esse
 malim, quam id, quod nunc sum, exanimis.

DIALOGVS

MA. Quo tandē veneficij genere perdo ho-
mines? PAM. Fascino. MA. An igitur vis, vt
posthac abs te deflectam noxios oculos? PA.
Bona verba. Imo magis afflecte. MA. Si mis-
hi sunt oculi fascinatores, qui fit vt non conta-
bescant & ceteri, quos obtueor? Itaq; suspicor
fascinum istud esse in tuis oculis, non in meis.
PAM. Non fat tibi erat iugulare Pamphilum,
ni insultes insuper. MA. O lepidum mortuū.
Sed quando parabuntur exequiæ? PAM. Opi-
nionē tuā celerius, ni tu succurras. MA. Egon'
rem tantam possūm? PAM. Potes vel mortuū
ad vitam reuocare, idq; minimo negotio. MA.
Si quis mihi porrigat panacem. PAM. Nihil
opus herbis, tantum redama. Quid autē facis-
lius, imo quid æquius? Non aliter absolueris
ab homicidij crimine. MA. Apud quod tri-
bunal peragar rea? Areopagitarū? PAM. Non,
sed apud tribunal Veneris. MA. Aiunt deam
esse placibilem. PAM. Imo nullius ira perinde
formidabilis. MA. Habet fulmen? PAM. Non.
MA. Habet tridentem? PAM. Nequaq;. MA.
Habet hastam? PAM. Minime, sed est dea ma-
ris. MA. Non nauigo. PAM. Sed habet puer-
rum. MA. Non est formidabilis ætas. PAM.
Vindicem ac peruicacem. MA. Quid is mihi

5
 PROCI ET PVELLAE.

faciet? PAM. Quid faciet? Prohibeant omnes
 superi. Nolim enim illi male ominari, cui bene
 volo. MA. Tamen effare, nulla mihi supstitio
 est. PA. Dicam ergo. Si hunc spreueris amans
 tem, non omnino mutuo indignum amore,
 nisi fallor, ille fortasse iussu matris immittet tibi
 pessimo veneno tinctum iaculū, vt in sordidū
 aliquē depereas, qui te tamē nō redamet. MA.
 Supplicium narras abominandum. Ego sane vel
 mori præoptarim, q̄ perditæ amare deformem,
 nec amore mutuo respondentē. PAM. Atqui
 nuper huius mali fuit exemplū insigniter ædi
 tum in puellam quandam. MA. Vbi locorū?
 PA. Aureliæ. MA. Quot anni sunt? PAM.
 Quot anni? Vix sunt menses decem. MA. Pu
 ellæ quod erat nomē? Quid hæres? PA. Ni
 hil, noui tanq̄ te. MA. Quin igitur ædis nomē
 PA. Quia nō placet omen. Vtinā alio quouis
 nomine dicta fuisset. Idem habebat nomen
 quod tu. MA. Pater quis erat? PAM. Viuit
 adhuc, inter iureconsultos præcipui nominis,
 re splendida. MA. Adde nomen. PA. Mauris
 cius. MA. Cognomen. PAM. Aglaius. MA.
 Viuit ne mater? PA. Nuper reliquit superos.
 MA. Quo morbo periit? PA. Quo morbo
 rogas? mœrore. Et pater tametsi vir cum pri

DIALOGVS

mis fortis, periclitabat̃. MA. Licet ne scire mā-
 tris quoq; nomen? PA. Maxime, Sophronam
 nemo nō nouit. Sed quid sibi vult ista percon-
 tatio? An me putas apologum cōminisci? MA
 Egon' de te suspicarer hoc? Hęc suspicio pro-
 nior est in sexum nostrū. Sed narra quid acci-
 derit puellæ. PA. Puella erat honesto loco
 nata, vt dixi, re lauta, forma perquam elegantē
 quid multis? digna principe marito. Huius nū-
 ptias ambiebat procus qdam, illi nō dissimilis.
 MA. Quo nomine? PA. Hei mihi, offendor
 omine, Pamphilus & ille dictus est. Illa nihil
 non tentantē p̃tinacissime spreuit. Iuuenis dō-
 lore contabuit. Nec ita multo post, illa dep̃-
 rire cœpit in quendā, simiū verius q̃ hominē.
 MA. Quid ais? PA. A deo perditē, vt satis dici
 non queat. MA. Tam elegans puella tam des-
 formē? PA. Vertice acuminato, raro capillitio,
 eoq; lacero & impexo, furfure ac lendibus op-
 pleto, plerantq; cranij cutem nudauerat alopes-
 cia, oculis refugis, naribus simis ac fursum hi-
 antibus, ore sparso, dentibus putridis, balbus-
 ſiente lingua, mento scabioso, scapulas defor-
 mabat gibbus, uenter p̃minulus, crura vara.
 MA. Therſiten quēpiam mihi depingis. PA
 Imo aiunt illi non fuisse nisi vnam auriculam.

6

PROCI ET PVELLAE.

MA. Altera perierat illi fortasse in bello. PA. Imo in pace. MA. Quis hoc ausus est? PAM. Dionysius carnifex. MA. Fortasse formæ infelicitatem pensabat res ampla domi. PA. Imo decoxerat, ac plus quàm animam debebat. Cum hoc marito tam insignis puella nunc degit ætatem, ac subinde vapulat. MA. Rem miseram narras. PA. Sed veram. Sic visum est Nemesei, iuuenis sprete contumeliam vlcisci. MA. Ego citius optarim extingui fulmine, quàm talem ferre maritum. PA. Ergo ne prouoca Nemesein, & amanti redama. MA. Siquidem isthuc satis est, redamo. PA. Sed optarim istum amorem esse perpetuum ac proprium. Coniugem ambio, non amicam. MA. Neque me id fugit, sed diu deliberandum est in eo, quod semel coeptum, rescindi non potest. PA. Apud me quidem nimium diu deliberatum est. MA. Vide autem, ne tibi imponat amor, non optimus consultor. Nam cæcum esse ferunt. PA. Sed oculatus est, qui ex iudicio nascitur. Non ideo mihi talis videris, quod amem te, sed ideo te amo, quod talem te conspexerim. MA. At vide ne non satis me perspectam habeas. Si calceum induisses, tum demum sentire, qua parte te vrgeret. PAM. Iacienda est alea, quanquam ego multis auguribus

DIALOGVS

colligo rem melius cessuram. MA. Etiam augur es? PA. Sum. MA. Quibus igitur augurijs colligis? An volauit noctua. PA. Illa uolat stultis. MA. An a dextris aduolauit iugum columbarum. PA. Nihil istiusmodi. Sed mihi iam annis aliquot perspecta est probitas tuorum parentū: ea primū auis est non pessima, et bonis progeneram esse. Neque me clam est: quam salubribus monitis, quam sanctis exemplis apud hos sis instituta. Et plus est bene institui q̄ bene nasci. Habes alterum auguriū. Ad hæc meis maioribus, non omnino malis, ni fallor, iam olim cum tuis amicitia non vulgaris intercudit, quin & nos inter nos a teneris, quod aiunt, unguiculis noti sumus, nec male cōuenit genijs nostris. Iam ætas inter nos, res, dignitas, nobilitas, inter vtriusq̄ parentis, pene paria sunt. Demum quod est in amicitia præcipuum, tui mores mihi videntur non pessime quadrare ad meum ingenium. Potest enim per se præclarum esse, quod tamen non sit aptum. Quam mei vicissim tuo cōgruant, nescio. Hæc videlicet aues, mea lux, mihi promittunt fore inter nos felix, perpetuum, ac lætum iucundūq̄ connubiū, modo ne tuus animus, mali ominis canionē nobis occinat. MA. Quam cantile

7
PROCI ET PVELLAE.

nam optas? PAM. Ego præcinam: sum tuus;
tu succine: sum tua. MA. Breuis quidē cantus
uncula, sed longū habet epiphonema. PAM.
Quid refert q̄ longum, modo latum. MA.
Adeo mihi es inuisus, vt nolim te cōmittere,
cuius in posterū pœniteat. PAM. Desine male
ominari. MA. Fortassis alia tibi videbor, vbi
morbus aut ætas hanc formam immutauerit.
PAM. Nec hoc corpus, o bona, semper erit
æque succulentum, sed ego non contemplor
tantum istud vndiq̄ florens & elegans domis
cilium, hospitem magis adamo. MA. Quem
hospitē? PAM. Animū istum tuū, cuius decor
semper cum ætate crescet. MA. Næ tu plus
q̄ Lynceus es, si ipsum p̄spicis per tot tectoria.
PAM. Animum animo perspicio. Ad hæc, in
communibus liberis subinde repubescemus.
MA. Sed interim perit v̄ginitas. PAM. Verū
Sed eho: dic mihi, si tibi esset elegans pomariū,
optares illic nihil vnquā gigni præter flores?
an malles de lapsis floribus videre arbores ma
turis pomis grauidas? MA. Vt argutatur.
PAM. Saltē illud responde, vtrū est elegantius
spectaculū, vitis humi iacens & cōputrescens,
an amplexa palum aut vlmū, eamq̄ purpureis
vuis degrauians? MA. Responde mihi vicissim,

DIALOGVS

vtrum spectaculum amoenius, rosa nitens &
 lactea in suo frutice, an decerpta digitis ac pau-
 latim marcescens? PAM. Ego rosam existimo
 feliciorē, quæ marcescit in hominis manu,
 delectans interim & oculos & nares, quæ
 senescit in frutice. Nam & illic futurū erat, vt
 marcesceret: quæadmodū felicius est vinum,
 quod bibitur antequā acescat. Quanquā non
 statim marcescit flos puellæ si nupserit. Imo vi-
 deo multas, quæ ante nuptias pallebant, lan-
 guebant, ac velut extabescebant, ex cōgressu
 viri sic enituisse, vt tum demum florere cœpe-
 rint. MA. Attamen favorabilis ac plausibilis
 apud omneis est virginitas. PAM. Elegans
 quidē res puella virgo, sed quid prodigiosius
 anu virgine? Nisi matri tuæ defluxisset flos
 ille, nos istum flosculū nō haberemus. Quod
 si, vt spero, non sterile fuerit nostrū coniugiū,
 pro vna virgine multas dabimus. MA. Attas
 men aiunt, rem deo gratissimā esse castitatem,
 PAM. Et ideo castam puellam mihi cupio nus-
 bere, vt cum illa caste viuam. Magis erit anis-
 morum quā corporū coniugium. Gignemus rei
 publicæ, gignemus Christo. Quantulū aberit
 hoc matrimonium a virginitate? Et fortassis
 olim sic conuiuemus, quæadmodū vixit cum

PROCI ET PVELLAE.

Maria Ioseph. Sed interim discemus virgin
tatem. Non enim statim peruenit ad summū.
MA. Quid ego audio? Violanda virginitas,
vt discat? PA. Quid nī? Quēadmodū paulatim
bibendo vinū parcius, discimus esse abstemiū.
Vt tibi videtur temperantior, qui in medijs
delicijs accumbens abstinet, an qui semotus
ab his quæ prouocant intemperantiam? MA.
Arbitror eum fortius temperantē, quē parata
copia non potest corrumpere. PAM. Vt i ve
rius debetur laus castitatis, ei ne qui semet ex
æcat, an qui membris integris, tamen abstinet
a Venere? MA. Equidem posteriori meo cal
culo tribuerim laudē castitatis; priori dæmen
tiam. PAM. At qui voto astricti abiurant ma
trimoniū, nonne quodāmodo exæcant sese?
MA. Videtur. PAM. Iam non est virtus non
coire. MA. An non est? PAM. Sic accipe. Si
per se virtus esset non coire, vitiū esset coire.
Nunc incidit, vt vitiū sit nō coire, coire virtus
MA. Quando hoc incidit? PAM. Quoties ab
vxore ius suū petit maritus, præsertim si prolis
amore quærit cōplexum. MA. Quid si lasciu
uiat, nō est fas negare? PAM. Fas est monere,
vel rogare potius blandius, vt temperet, per
negare instanti fas non est. Quanquā hac qui

DIALOGVS

dem in parte raras audio querelas maritorum
 de suis vxoribus. MA. At dulcis est libertas.
 PAM. Imo grauis est sarcina virginitas. Ego
 tibi rex ero, tu mihi regina. Imperabimus fas
 miliaē nostro arbitratu. An tibi videtur ita esse
 seruitus? MA. Vulgus coniugium capistrum
 vocat. PA. Sed ipsi vero capistro digni sunt, qui
 sic vocant. Dic mihi quæso: An nō animus tu
 us est alligatus corpori? MA. Videtur. PA. Non
 aliter q̄ auicula cauea. Et tamē consule illum,
 an cupiat esse liber, Negabit opinor. Quam
 ob rem? Quia libenter est alligatus. MA. Res
 est vtrinq; modica. PAM. Tanto tutior. Eam
 tu domi augebis parsimonia, quæ non sine
 causa dicta est magnum vectigal, ego foris
 industria. MA. Innumeras curas secum adfes
 runt liberi. PAM. Sed ijdem innumeras volus
 ptates, ac sæpenumero multo cum fœnore res
 ponunt parentibus officiū. MA. Misera quæ
 dam res est orbitas: PAM. An nunc orba non
 est? Quid autē opus in re dubia male ominari?
 Dic mihi vtrum malles, nunquā nasci, an nasci
 moritura? MA. Equidē malim nasci moritura.
 PAM. Sic miserior est orbitas, quæ prolem nec
 habuit, nec habitura est: quēadmodū felicio
 res sunt, qui vixerunt, q̄ qui nec nati sunt, nec

9
PROCI ET PVELLAE.


nascuntur vnquā: MA. Qui sunt isti, qui non
sunt, nec erunt? PAM. Quanquā qui recuset
ferre casus humanos, quibus omnes ex æquo
sumus obnoxij, siue plebei sumus, siue reges,
is e vita migret oportet. Et tamē quicquid acci-
derit, tu non feres nisi dimidiū, ego maiorem
portionē in me transferam. Ita si quid accide-
rit læti, gemina fiet voluptas: si quid mali, so-
cietas adimet dimidiū ægritudinis. Mihi vero,
si fata vocent, dulce fuerit vel immori tuis cō-
plexibus. MA. Facilius ferūt homines, quod
iuxta cōmunes naturę leges accidit, sed video
quanto plus molestiarū adferunt nōnullis pa-
rentibus liberorū mores, q̄ mortes: PA. Istis
us rei ne quid accidat, maxima ex parte in nos
bis situm est: MA. Qui sic? PA. Quoniā fere
boni nascunt̄ ex bonis, quod ad indolem atti-
net: neq; enim e columbis nascuntur miluij.
Dabimus igitur operam, vt ipsi boni simus.
Deinde curabimus, liberos nostros ab ipso
statim lacte sanctis præceptis, & opinionibus
imbuēdos. Plurimū refert quid infundas rudi
testulæ: Ad hæc curabimus, vt domi habeant
exemplum vitæ, quod imitent. MA. Difficile
est, quod narras. PAM. Nec mirum, quia pul-
chrum est, atq; ob hoc ipsum tu quoq; diffici-


DIALOGVS

lis es, At tanto studijs acrioribus huc enitemur. MA. Habebis sequacem materiã, tu vide vt me formes fingasq;. PAM. Sed interim pronuncia tria verba. MA. Nihil facilius, sed verba simul atq; semel euolarint, nõ reuolant: Dabo consiliũ vtriq; cõmodius: Ages cum tuis ac meis parentibus, vt vtrorumq; voluntate res transigat. PAM. Ambire me iubes, tu potes tribus verbis rem certam reddere. MA. An possim nescio, mei iuris non sum. Nec sine maiorum autoritate olim coibant coniugia. Verũ vtcunq; est, arbitror auspiciatus fore nostrum coniugium si parentũ autoritate, coeat: Et vestrum est ambire, nobis decorũ non est. Gaudet enim rari virginitas, etiã si nõnunquã vehementius amemus. PAM. Non pigebit ambire, modo ne me frustret tuũ vnũ suffragiũ. MA. Non frustrabitur, bono animo esto mi Pamphile. PA. Tu mihi hic religiosior es q̃ vellem. MA. Imo tu tuũ ipsius suffragiũ apud te prius expende. Nec affectum istum tuũ adhibe in consiliũ, sed rationem. Quod affectus decernit temporariũ est: quod autẽ dictat ratio, perpetuo solet placere. PAM. Næ tu pulchre philosopharis: itaq; parere certum est tuis consilijs. MA. Non pœnituerit obsequij, Sed

PROCI ET PVELLAE.

hæus tu, incidit interim scrupulus, qui meū ani-
mum male habet. PAM. Valeant scrupuli. MA.
Vin me nubere mortuos? PAM. Nequaq̄, sed
reuixero. MA. Amouisti scrupum: Bene vale
mi Pamphile. PAM. Istuc tu cura. MA. Precor
tibi lætam noctem. Quid suspiras? PAM. Læ-
tam noctem ais? Vtinam largiaris quod pre-
caris. MA. Ne quid præpropere, adhuc tua
messis in herba est. PAM. Nihil ne tui mecum
auferam? MA. Hunc pastillum, qui tibi cor
exhiletet. PAM. Adde saltem osculum. MA.
Cupio tibi virginitatē integram & illibaram
tradere. PA. An osculū aliqd decerpit virgini-
tati? MA. Vis igitur, vt alijs quoq; largiar
oscula? PAM. Nequaq̄, mihi seruari volo mea
oscula. MA. Tibi seruo. Quanquam est aliud,
quid in præsentia nec ausim dare osculū. PAM.
Quid isthuc? MA. Ais tuū animū pene totū
demigrasse in corpus meum, in tuo q̄ minimū
superesse. Vereor itaq; ne in osculo hoc ipsum
quod in te superest, transiliat in me, tuq; iam to-
tus fias exanimis. Accipe igitur dextram, mus-
tui amoris symbolū, ac bene vale. Tu gnaui-
ter gere. Ego interim Christum comprecor
vt quod agitur, vtriq; nostrum velit esse
felicis ac faustum.





Dissidet me sta
A helimski & schachac
Anno Domini 1552

^{U. W. S.}
Jobias wtodawczk d 21

Ego sum posesor Jobias wtoda
wczk bonus cancionas istius meus

Inromini sicabilitatibus equi est
nomen nostre ac datus

B 701

Emapata in



2515

1920

Bot.